

A. obiectum sunt personæ & res nec
nimis humiles, nec nimis sublimes.
LXXXIII. LXXXIIII.

B. argumenta mediocria, LXXXV. -
LXXXVII.

C. verba, quæ adhibentur, sunt
a honesta,
b graua,
c æqualia,
d suauiua, LXXXVIII. - LXXXIIII.

D. genuina verborum & periodorum
proportio. fin.

I.

Vtrum stilus sublimis, an humilis,
an denique mediocris, hoc vel
illo tempore vsurpandus sit; ora-
tionis materia, tamquam certissima nor-
ma definit. *

*Stilus ad
conditio-
nem per-
sonarum
& tempo-
ris est
compo-
nendus.*

* Diuisio hæc ratione *qualitatis* siue
quoad interiorem formam competit stilo.
Auctor quæ de tam egregia humanioris litte-
raturæ parte tradit, laudem meretur suam.
Interea paullo copiosius rem omnem pertra-
ctat LONGINVS, cuius liber de sublimitate
stili ac nonnullis aureus reconditaque erudi-
tione habetur plenissimus. Nec tamen mi-
nori cum vtilitate legi poterit dissertatio WE-
RENFELSII de *meteoris orationis*, quæ
libro de *logomachiis eruditorum* adfixa est.
Ex veteribus in sublimi dicendi genere no-
bis sunt exemplo CICERO in orationibus,